



ANALECTA HASSIACA. 79

ut exitium, pertinacius errorem tuentibus, praesentissimum immineret. Itaque frequentes ubique certeres extrui pyras, atque obstinatos in amentia atque errore passim per oppida Germaniae flammis exuri. Quo in studio, specie religionis huc ventum alibi ferunt, ut cruciatibus addictos, periisse haud paucos insontes, vulgo tum, TRITHEMIO teste, creditum sit: Constat toto hoc triennio acerrime in haereticorum dicta factaque iuxta inquisitum, atque omnes falsae religionis comperitos, instituto maiorum ac sanctione legum, ignis supplicio luisse poenas. Vix in Conradum doctrinarum & integritatis magnae virum cadit, quod TRITHEMIUS constanter narrat, purificatione usum vulgari, in quaestionibus de haeresi discutiendis, expertumque periculo ferri candentis crimen negantium. Quod si abolicum ille morem sua sponte retulit, facti temeritatem qui purgem non video: sed retentum usurpasse magistratus, quorum ipse usus ministerio, fidem facit Caesarius, qui hac aetate memorat, et Cameraci, et Argentinae hoc genere examinis quaestionem haeresis agitaram. Et §. 154. Idem fere annus, (1233) iudicio celeberrimo, quo Henric. Seynensis Comes, ceu praeue de religione sentiens postulatus est, insignis fuit. Posteaquam praeteritis annis leges fuissent in viliora capita exercitae: hoc demum anno neque ordini vlli, neque dignitati visum parcere. Protracti igitur ad sacra tribunalia sacerdotes, adductique in quaestionem monachi, sacrae virgines; plebes, iuxta atque clerus in eandem sortem coniecti. Quares inuidiae flammam ingentem ac materiam im-

peri-